



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Vita Ioannis Berchmanni Flandro-Belgæ Religiosi Societatis Iesv**

**Cepari, Virgilio**

**Antverpiæ, 1630**

Humilitatis definitio, actus, motiua, media, exempla.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46083](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46083)

*Colloquia Spiritualia diei vineæ.**Aduocata MARIA.*

PRIMÒ locus, solarium; secundò tempus, in die vacationis & vineæ, composito Sacello à prandio; tertio, personæ N. N. N. quartò materia, virtus, quæ plura vota; quinto, modus. primò, definitionem & regulam; secundò, actus practicos internos & externos; tertio, motiua; quartò, media vel exempla. Sextò, finis, accendere & inflammare primò nosipfos, & deinde alios.

*Humilitas.**Definitio.*

EST animi inclinatio ad contemptum sui, orta ex cognitione sui, per quam homo Deo se subijcit, & hominibus propter Deum, seu ob aliquam bonitatem à Deo illis cõmmunicatam.

*Actus.*

1. Amare nesciri, & pro nihilo reputari, spernere sperni, cupere sperni, quærere sperni.
2. Subijcere se Deo, & hominibus cum magnâ promptitudine.

R 5

3. Nil



3. Nil vniquam facere aut dicere, vt propriam inde laudem referas.
4. Sufferre iniurias & verba dura.
5. Amare & gaudere, quòd defectus tui per alios alijs aperiantur.
6. In verbis ostendere humilitatem, & non excusare se.
7. Omnes meliores & superiores te ducere.

*Motiva.*

1. Christus talis fuit, & dixit: *Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde.*
2. Beata Virgo talis fuit, & dixit: *Ecce ancilla Domini, &c. Et, Respexit humilitatem ancilla sua.*
3. Humilis omnia impetrat, & habet claves thesauri Dei. *Oratio humiliantis se, &c.*
4. Quantum se quis humiliat in terrâ, tantum gloriæ habebit in cælo.
5. Maximi honores & laudes, sunt vanitas.

*Media.*

1. Cognitio propriæ vilitatis & infirmitatis, & defectibilitatis in corpore, & in animâ.
2. Oratio feruens.
3. Humiliatio frequens.

*Exem-*



*Exempla.*

1. B. Franciscus Borgia abdicato Ducatu, se subscribebat *Franciscus peccator*: & cum socius ei quadam nocte in faciem exspueret, non aduertens, ipse nullum viliores locum suâ facie reputabat.

2. Primarius quidam Alexandrinæ ciuitatis, filiam obsessam habebat, Patres eremi ob humilitatem liberare eam nolunt: puella obsessa cuidam sancto Seni sportam ementi alapam infligit, ille aliam maxillam præbet, diabolus abscedit, & liberatur.

3. Cuidam iuueni sancto diabolus apparet, dicens, Ego sum Gabriel missus iam ad Ioannem, & ad Virginem. Respondet: Vide ne ad alium missus sis, nam ego dignus non sum vt Gabriel ad me veniat. Diabolus confusus fugit.

*Patientia.**Definitio.*

**E**ST virtus, quâ mala huius sæculi æquo animo sustinemus, ita vt propter illa non immoderatè turbemur aut tristemur, ne aliquid minùs honestum aut decorum admittamus.

*Actus.*